

II
IN ECCLESIASTEM

(Auctore P. Fr. Didaco de Tapia Ord. S. Augustini.)

Dum caput ix Ecclesiastes commentaretur Mag. Legionensis, improvisa ratione impeditus, expositionem incoepatam relinquere, ejusque prosecutionem P. Didaco a Tapia Augustiniano, perelebri theologo, committere debuit, qui eam ad finem usque capitis x protraxit, fortasse non ultra progressus, quod studiorum cursu labente Luysium successerit. Versus, igitur, capitulum ix et x a P. Tapia enucleatos, etsi ea dicendi negligentia videantur expositi, qua Magistri, onere quotidiano compulsi, loqui solebant, colligi debere censuimus, eosque in hanc appendicem comprehendere, tum quod uti integralis commentarii Luysii in Ecclesiastem pars haberi possint, tum etiam quod P. Didacus a Tapia, cujus doctrinae perpauca documenta exstant, intimis fuerit amicitiae, discipulatus, religiosaeque fraternitatis cum Mag. Legionensi vinculis copulatus. Fragmentum, igitur, hujus lectionis edimus, exemplar tomi A in illo transcribendo sequuti, ex quo commentarium Luysii etiam desumpsimus.

CAPUT IX

..... quod (1) unum vel maxime homines suae ignorantiae admonere debuisset; saepe, enim, quae miseranda ipsorum coeacta est, dum honores sectantur, infamiam;

(1) Intra ipsam textum legitur: «aqui dexó el p.º fray Luis de León a 17 de agosto, y sigió el p.º tapia.» Et ad marginem: *Nota.*

dum laeta, tristitiam; dum dulcissimam et jucundissimam vitam, acerbissimam mortem invenerunt. Quod, tamen, praecipue prudentibus hujus saeculi solet accidere; idque justo judicio Dei. Unde, cum apud Jeremiam quidam ex his conquererentur, quod pacis loco atque honorum temporalium affluentiae, dirae calamitates ipsis evenissent, acerbissimoque mortis genere delerentur, illorum stultam prudentiam exprobrans Dominus, in haec verba respondit: *viae tuae et cogitationes tuae fecerunt haec tibi*; quodcumque igitur malum supervenerit, tibi imputa ipsi, qui dum cibos et ea quae dulcia sunt, quaerebas, aut laqueo aut hamo captus est. Idque jure optimo; nam cum tam sis et hebes et stolidus, ratione consentaneum est, ut parem et aequalem bestiis finem habeas, siquidem quia homo non intellexit, comparatus est *jumentis insipientibus et similis factus est illis* (ps. XLVIII). Sequitur in textu:

13.—Hanc quoque sub sole vidi sapientiam et probavi maximam.

14.—Civitas parva et pauci in ea viri (1): venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio.—15.—Inventusque est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

Cum multa Salomon in hoc capite mala enumerasset, quae sub sole fiunt: multa injusta, vana et inutilia multa; aliquid modo dicit se interea considerasse, quod sit vera laude dignum, quodque in solum sapientem cadere possit. Illud est, accidere solere non numquam parva ut sit civitas, et habitatores pauci in ea, ac propterea tunc facile obsideri possit, tunc etiam viribus sit ad se defendendum destituta; veniat, autem, rex adversus eam potentissimus, atque innumerabilium hostium cingat exercitu: in hac, vero, summa temporis angustia, atque extremae necessitatis conflictu repente apparere solet et inveniri humilis aliquis pauper et abjectus, qui praeter omnium civium (non jam opinionem dicam, sed suspicionem) sapientia sua prudentique consilio ingruentia mala avertat, hostes uget, liberet civitatem, efficiatque ut qui paulo ante metu crudelissimorum exitiorum carere non poterant, laetissima pace et tranquillitate fruantur, vix ipsis sibi persuadentibus tam

(1) In codice: VIRI etc. Et ad marginem: *usque ad illa verba: ILIUS PAUPERIS.*

insperatam securitatem. Sed, nec bonum aliqua integrum atque perfectum apud mortale genus locum habeat, non modo summus ille vir et excellens, apud suos cives ante vixit inglorius, sed etiam (o ingrata hominum corda et oblita!) postquam soluta captivitas est, postquam reddita patriae libertas, nemo fuit apud quem tanti beneficii maneret memoria, nullum benefactori grati animi officium sui cives praestiterunt; pauper et sine honore tum vixit apud illos, tum etiam mortuus est: tam timuerunt videri grati aut sapientiae et honestatis cultores! Quamvis, autem, inter homines sapientiae nullus locus, nullum praemium sit; sed omnes opes atque divitias sequantur et admirentur, merito ut ille exclamaverit; *Latet, obscuris condita virtus clara tenebris*; quamvis, inquam, hoc ita sit, hoc tamen ego, inquit Salomon, ex his quae vidi, verissime

16.—Affirmo; quod melior sapientia fortitudine.

Quod, enim, militum virtus longo tempore effecere non potuit, id totum unius hominis sapientia brevi temporis momento perfecit, nulloque labore; ut jam non immerito fortitudo propria sapientiae suppellex videri possit, quod ei assignat Sapiens, *Sapientiae VIII*, cum ait: *Per hanc, scilicet, sapientiam, videbor in bello fortis*, etc., et eodem capite: *Attingit, inquit, a fine usque ad finem fortiter*; nullumque fortitudinis munus est, quod sapientiae non tribuatur capite decimo, ubi sapientiae dicitur suum possessorem et custodisse ab inimicis, et a seductoribus fuisse tutata, et certamen forte illi dedisse, *ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia*, et tandem alio in loco (*Sapient.*, VII), sapientia omnipotens esse censetur. QUOMODO ERGO SAPIENTIA CONTEMPTA EST? id est, nihilominus, tamen, quod merito unusquisque mirabitur, SAPIENTIA PAUPERIS CONTEMPTA EST ET VERBA EJUS NON AUDITA. Porro, quod hic dicit Salomon de eo viro, qui liberavit civitatem, potest vel ad historiam referri, vel credi ratione inductum. Scire, autem, oportet, quod de hac re habetur historia II *Regum*, XX; ubi mulier quaedam suo consilio tutata est civitatem Abela. Sequitur in textu:

17.—Verba sapientum audiuntur in silentio plus quam clamor principis inter stultos.

Non hoc dicit Salomon ex parte audientium, sed propterea quod sapientis verba silentium illud in auditorum animis et altam quietem efficiant; mirum, enim, est quam homines sapientes observent, verba facturos, quod poeta elegantissime descripsit his verbis:

*Magno inquirent populo, cum saepe coorta est
Seditio; saevitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.*

Certe, non potuit evidentius oculis objici turbulenta et seditiosa tempestas; sed videte facilem sedandae illius et expeditam rationem:

*Tunc pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arctisque auribus adstant.*

Audientur, igitur, verba sapientis cum silentio; hominis, autem, stulti quamvis potentis clamor et vociferatio, clamore ipso et verbis ignavior est, nec quidquam habet roboris aut virium. Nec, vero, immerito divus Hieronymus sententiam hanc accommodat ambizioso cuicumque contionatori: «cum videris, inquit, in Ecclesia declamatorem cum quaedam venustate verborum excitare plausus, audientes in affectus laetitiae concitare, scito, signum esse insipientiae, tam ejus, qui loquitur, tam eorum, qui audiunt; verba iuppae sapientis in quiete et moderato silentio audiuntur». Intelliguntque omnes bene affecti auditores verum esse id, quod Pythagoras ille Samius dixisse fertur, musas esse sirenibus praeferendas, id est, nudam sapientiae et veritatis formam praeferendam esse politiae et elegantiori orationi. Quod, vero, ad rigorem textus attinet, nec comparat Salomon hic unum alteri: quae, enim, esse potest stulti ad sapientem comparatio? Sed docet quid inter utrumque et alterius verba intersit; nec vero virum sapientem principi contraponit: potest, siquidem, ac debet princeps sapiens esse; sed principi stulto. Nec obstat, quod non dixit plus quam CLAMOR PRINCIPIS STULTI, SED INTER STULTOS; nam hoc, aut ideo dictum est, quia si stultos ministros habeat, stultus ipse esse convincitur: debet, enim, princeps prudentibus,

uti ministris; vel, quod ego magis credo, PRINCEPS INTER STULTOS dicitur, id est, stultissimos, non aliter atque princeps inter sceleratos sceleratissimus est, et inter sapientes princeps sapientissimus. Atque rerum sensum expressit Campensis, linguae hebraicae doctissimus; sic, enim, habet: *Verba sapientum, etiam si non multum clament, ipsa efficaciora sunt, quam principis stulti vociferatio.* Sequitur:

18.—Mellior est sapientia, quam arma bellica.

Pergit Salomon in enarrandis sapientia laudibus, eamque praefert fortitudini, quod plus valere soleat in praeliis, quam arma pugnantium; nec, enim, solum non prodesse, sed obesse solet quamplurimum potestas et fortitudo; cujus impetum non moderatur sapientia, «nimisque, de republica quidam dixit, parva esse foris arma, nisi sit consilium domi»; alisque pluribus Scripturae locis habetur, quod melior sit sapiens viro forti. Caeterum, id quod subditur: *ET QUI IN UNO PECAVERIT, MULTA BONA PERDET, AMBIGUUM EST, tum quia alii legunt: PECCANS UNUS, PERDET BONITATEM MULTAM, tum etiam quia non videntur haec cum praecedenti oratione cohaerere. Sed quocumque modo legatur, nam et hebraea utrumque sustinent, recte quadrant cum his, qua dicta sunt. Contraponitur, enim, vel stultus quis atque peccator, pacem populi et civitatem universam evertens, viro sapienti, qui illam servaverat; et propterea dicitur, quod PECCANS UNUS PERDET BONITATEM MULTAM: vel, certe, sensus est, uno aliquo facinore et stultitia ea omnia bona perire, quae sapientis consilium paraverat; quod maxime locum habet, cum propter unum peccatum omnes ante actae justitiae pereant iuxta illud: *Qui peccaverit in uno, factus est omnium reus* (Jacob II). Atque omnino his verbis significari mihi videtur id, quod apud aliquos in proverbium duci solet, quod, scilicet, unus stultus projicit lapidem in puteum, quem mille sapientes non extrahunt.*

CAPUT X

1.—Muscae morientes extinguunt suavitatem olei.

Hic locus, quoad primam hanc orationem, celebris est apud auctores ecclesiasticos, ac proinde, cum metaphora varios possit sensus sustinere, variis etiam rebus haec verba accommodantur. Divus Augustinus, libro contra Fulgentium donatistam, articulo XIV, tomo VII (1), morientes muscas appellat haereticos, qui sana pungunt, putredine nutriuntur, corporibus fundunt vermes, et oleum doctrinae atque charitatis exterminant; nec ab hoc sensu alienus est Divus Hieronymus hoc loco, inducitur illud Matthaei, XII, ubi istorum hominum pater appellatur Beelzebub, id est, vir muscarum. Divus Bernardus, sermone quodam de Adventu, plissime certe muscas has morientes dicit esse judaeos eorumque in Dominum injurias et opprobria, quibus exterminare et extinguere conabantur suavitatem et bonitatem Domini; non tamen potuerunt, nam ille in mediis doloribus conversus ad Patrem, clamabat. *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt;* eademque interpretatio placuit Olympodoro. Divus Hieronymus, epistola quadam, peccata venialia dicit, esse muscas morientes, et ad gravia peccata disponunt. Aliis videtur, gravia ipsa peccata muscas dici, quod sicut muscae, parvae cum sint, perdunt pretiosum unguentum, sic per unum peccatum amitti solet cumulus meritorum; sicut etiam, si ad personas hoc referamus, mali solent bonos inficere. His aliisque adaptari solet horum verborum metaphora. Caeterum, sic haec oratio, ut par est, cum antecedentibus cohaerere debeat, jungique cum consequentibus, scilicet: *PRETIOSIOR EST SAPIENTIA, PARVAQUE GLORIA AD TEMPTUS STULTITIA, non parum videtur hic locus difficilis explicatu; praesertim, cum translationes ita videntur, ut Divus Hieronymus legat in hunc modum: PRETIOSIOR EST SUPER SAPIENTIAM ET GLORIAM STULTITIA PARVA; graeca, vero, sic habent: PRETIOSUM EST PAUCUM SAPIENTIAE SUPER GLORIAM STULTITIAE MAGNAE; atque a Divo Hieronymo*

(1) PP. Matritenses partem hujus citationis habent ad marginem sic: «cap. XIV Apend. tom. IX. Vide contra Episto. Parmeniani lib. II, c. 10, n. 22».

et a graecis verba Vulgatae non parum diferunt, ut videtis. Igitur Divus Hieronymus existimat id, quod supra dictum est, nimirum, UNUM STULTUM MULTA BONA EXTINGUERE declarari hac similitudine: SICUT MUSCAE MORIENTES APARATI OLEI ATQUE UNGUENTI PERDUNT SAPOREM ET SUAVITATEM; deinde, vero, quoniam saepe prudentiae misceri solet caliditas, admonet (inquit) Salomon, ut sapientiam simplicem requiramus, eaque cum innocentia columbarum copuletur, prudentesque simus ad bonum, simplices autem ad malum. Est itaque sensus, convenire justo habere parum simplicitatis, nonnumquamque satius esse stultum quam sapientem videri; omnia, enim, tempus habent. Atque eadem videtur esse sententia Glossae interlinearis, atque ad hos accedit aliorum expositio: quod STULTITIA PARVA, id est, ad horam simulata, PRETIOSIOR et utilior EST SAPIENTIA ET GLORIA, ut constat ex facto Davidis, primo *Regum* XXI, quando simulando stultitiam coram rege Achis, evasit periculum mortis. Communis, vero, plurimum expositio, ut refert Lyra, est, quod SAPIENTIA cum honore parvo MELIOR (sit), quam stultitia cum honore magno; quod supra etiam, capite IV, dixerat Salomon, cum ait: MELIOR EST PUER PAUPER ET SAPIENS REGE SENE ET STULTO; atque ita interpretatur Olympiodorus. Nec, vero, ego dubito, quin hanc expositionem sequantur Graeci, quoniam, ut dixi, graeca sic habent: PRETIOSUM PAUCUM SAPIENTIAE SUPER GLORIAM STULTITIAE MAGNAE vel MAGNAM. Sed pro aliorum expositione, quae fortasse ex omnibus videbitur probabilior, sciendum est, quod apud Hebraeos SAPIENTIA et GLORIA, sunt ablativi casus; STULTITIA, vero nominativi; parva, autem, non est adjectivum hujus nominis GLORIA, sed illius, scilicet, STULTITIA; unde littera, apud hebraeos sic habet: PRETIOSIOR, sive ponderosior EST STULTITIA PARVA QUAM SAPIENTIA ET GLORIA; sensus igitur est quod sicut muscae in unguentum, quantumvis pretiosum, illapsae, si illic moriantur, unguentum corrumpunt ac veluti scabie obducunt; sic parva saepe stultitia homini ob sapientiam praestantesque naturae dotes claro et excellenti multum existimationis addimit. Cum, enim, Salomon sapientem in praecedentibus magnis laudibus extulisset, docet modo, quam ille cavere debeat ne aliqua in re se gerat imprudenter, eo quod levis stultitia plus detrahaet apud homines, quam plurima sapienter facta adferant laudis. Et, quidem, suum unicuique sit iudicium; mihi, vero, haec explicatio magis probatur, quae est Lyrae atque Campensis; et secundum eam nostrae lit-

terae, recte intellectae, optime quadrant hebraea. Sequitur in textu:

2.—Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra.

Hoc est, mens et intentio justii atque sapientis est in bonum; stulti, vero, et peccatoris in malum. Semper, enim, sacris Litteris dextera felix est, ejusque sors beata; unde cum Dominus ad judicandum venerit (*Matth. capite XXV*), agni stabunt a dextris, nam et ipsi semper ea cogitant verum quae futuri saeculi sunt, et quae ducunt ad dexteram; haedi vero a sinistris, nam qui stulti sunt, praesenti saeculo adhaeserunt, quod positum est in sinistra, nam in sinistra illius dicitur et gloria. Et in *Proverbiis* IV scribitur: *Dexteram viam novit Dominus: quae autem perversa sunt, a sinistris*. Invaluitque haec allegoria, dexterae atque sinistrae etiam apud antiquos philosophos et poetas; unde ille:

*Dextera quae magni ditis sub moenia ducit
Ac iter elysium nobis: at laeva malorum
Exercet poenas, et ad impia tartara mittit* (1).

Sequitur in textu:

3.—Sed et in via stultus ambulans, stultus cum ipse sit, omnes stultos aestimat.

Quorum verborum et veritas et sensus satis per se constant; stultus, enim, cum ipse in nullis (se) ostendat et peccet, caeteros putat peccare similiter, ut qui omnes ex animo et ingenio spectet suo. Alii, alios sensus adhibent, quoniam et aliter legunt; sed iste videtur esse germanior, et cui etiam graeca facile accommodari possent. Bene, autem, mihi videntur haec verba interpretari, qui dicunt, quod stultus, insipiens cum ipse sit, revera omnes, scilicet, a via sua declinantes stultos reputat, quia non sequuntur

(1) Haec aliquanto aliter leguntur in Virgilio (*Aeneid.*, lib. VI), ex quo sunt desumpta, ita scilicet:

*Dextera, quae Ditis magni sub moenia tendit,
Hac iter elysium nobis: at laeva malorum
Exercet poenas, et ad impia tartara ducit.*

visibilia haec, quae ipse sequitur, et quae sola in bonis ducit; unde solent filii huius mundi religiosos viros atque sapientes, qui terrena, ut par est, contemnunt, stultos reputare, eorumque vox est illa (*Sapientiae*, V): *et quorum vitam putabamus insaniam*. Sequitur:

4.—Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio (1) facit cessare peccata maxima.

Hoc est, si dominandi cupiditas animum tuum invaserit, et in dignitatem fueris evehctus, locum priorem ne deposueris, id est, memor esto antiquae tuae conditionis et status; nec ita honoribus intumescas, ut dedigneris in his te exercere, in quibus antea versaberis: haec, enim, animi tui moderatio efficiet, ut vites multa et gravia peccata. Ita locum hunc interpretantur nonnulli, eratque haec huius loci expositio communis Hebraeis eamque satis expressit Sanctes Pagninus in sua versione, sic enim habet: *SI SPIRITUS IRAE DOMINANTIS ASCENDERIT CONTRA TE, LOCUM TUUM NE DIMITTAS, QUIA LENITAS FACIET QUIESCERE PECCATA MAGNA*. Doctores, vero, ecclesiastici communiter in sensu longe diverso accipiunt haec verba: *principem mundi*, inquit, *istius et rectorem tenebrarum harum* Scriptura significat hoc loco, qui si te ad supernae patriae beatitudinem studio et cogitatione erectum conotur deturbare, locum tuum singulasque Virtutum stationes ne deserueris; sed pugna potius fortiter et strenue; ea, enim est virtutum medicina, ut cohibere possit aereas potestates spiritusque nequitiae. Videturque peculiariter sermo esse de spiritu libidinis, qui maxime homines infestare solet, et de virtute temperantiae. Symmachus, enim, sic interpretatur: si spiritus principis irruerit tibi, de loco tuo ne recedas, quia pudicitia comprimit peccata magna. Sequitur in textu:

(1) Ad marginem: *id est, animi moderatio*.

5.—Et est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis.—6.—Positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere doorsum.—7.—Vidi servos in equis, et principes ambulare super terram quasi servos.

Continet hic locus difficultatis quidem perparum; doctrinae, vero, permultum. Neque, enim, fuit unquam sapiens aut cordatus homo, qui hoc ipsum malum, rerumque ordinem perversum non fuerit cum Salomone lamentatus. Cum, enim, profunda mente, considerat quis, quod qucumque admodum tunc homo recte est affectus et constitutus, cum sensus obtemperat menti, illa vero quasi in arce quadam et altissima sede locata imperat sensui, omnesque ejus motus regit et moderatur; ita bene constituta civitas est, cum sapientes arcem et imperium tenent, caeteri vero subserviunt et obsequuntur (juxta illud *Proverborum* XII: *Stultus serviet sapienti*, juxtaque praeceptum Domini, *Exodi* XVIII: *Provide de omni plebe viros sapientes et timentes Deum, qui judicent populum in omni tempore*); cum attendit etiam rationem ipsam dictare, ut ne musicam tractet nisi musicus, docere audeat nisi doctus, neque omnino artem aliquam attingat nisi ejus artis peritus; regere, autem, iuraque et leges statuere, altissimam esse et propriam sapientis artem; cum videt nullam esse stulti ipsius majorem calamitatem, quam si sapientis monita contempserit, nihilque beatus illi accidere posse, quam si consilio sapientis regatur (quod vel divina illa historia *Genesis*, XXVII, satis ostendit, ubi justissimus Isaac filium illum, qui a sapientia et virtute desciverat, miseratus, precatur ei, ut fratri sapienti serviat, servitium, scilicet, quae in maximis malis duci solet, sapienter arbitratur rem insipienti utilissimam, ne in dies in pejus prolaberetur); cum haec, igitur, omnia cordatus homo considerat, conspicit autem ex adverso sapientes et bonos, quos hic Salomon divites appellat, in bonis, scilicet, operibus sapientiae atque virtutis, bonis omnibus pulsos, exutos dignitatibus, neglectos, et in media plebe jacentes atque prostratos, coactos etiam servire insipientibus; ut una cum illis praecipiantur: e contrario, vero, homines nefarios, stultos atque nocentes, honoribus conspicuos, quasi in equis alacres laetosque volitare, fulgere dignitatibus, imperia tenere, jure et natura vetante et pugnante; dum haec, igitur, homo considerat, non potest non in eandem vocem cum Salomone prorumpere: *ET EST MA-*

LUM, QUOD VIDI SUB SOLE; POSITUM STULTUM IN DIGNITATE SUBLIMI, justissimamque putat illam querelam: *At perversi resident cæso more solio, sanctaque calcant, injusta vice colla noscentes, et illud etiam nollet tam esse verum: Quod dignis admittit, transit ad impios.* Non, tamen, propterea bonus quisque aut sapiens maestus esse debet, aut animo demisso et abjecto: tum, quia si mundus iste eis eripisset divinas eorum animi virtutes, si fidem, si prudentiam, si constantiam, gravem utique ab eo accepissent injuriam; nunc, vero, ista nec auferit, nec auferre potest: quantum ad hæc, enim, quæ verè bona sunt, Deus diligenter servat et tenet suos, ut sapientissime dicebat Divus Augustinus. Socratem etiam dicere solitum affirmat Tullius in II *de natura Deorum*, in fine, Deum in suis magna curare, parva negligere: non autem magnum est, honore affici sed esse honore dignum, id verè magnum est. Quod, autem, vitæ commoda viro sapienti aut injuria aut casus abstulerit, parum refert, siquidem bono viro prosperæ sunt res omnes; quia virtus sufficiens bonum est. Igitur, nemo infelix, nemo Deo invisus existimari debet, si bonis careat externis, quod vel acris illa Job ad amicos interrogatio sufficientissime concludit (cap. XXI): *Quare ergo impii vivunt, sublevari sunt, confortatique divitiis?* Hoc est, si in istis rebus vera felicitas consistit, qui præcium virtutis est, qui fieri posset, ut impii permitterentur illis affluere? Affluunt, autem, certe et abundant, nam hæc ejus generis bona sunt, ut se malis conjungi patiantur, et ad improbissimum quemque cummulatiora perveniant; igitur, hæc in bonis duci non debent. Unde tandem adjungit: *Veruntamen, quia non sunt in manu eorum bona, consilium eorum longe sit a me.* Magna, igitur, rerum humanarum pernicies est, si stulti timonem teneant; sed ferenda longanimiter permittendaque confusio hæc atque perversitas huic regimini malorum, semperque habendum præ oculis, quod verè et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime naturam sequitur, in factis positum, non in gloria, judicat, principemque se esse magis vult quam videri.

Et hæc, quidem, pro sententia hujus loci; sed principem illum, a quo egrediebatur hæc inæqualitas, plures intelligunt esse Deum, qui, non ob ignorantiam vel injustitiam, sed permissione justâ, facit regnare hypocritam propter peccata populi, locatque in dignitate, vel sæculari vel ecclesiastica, homines indignos, divites autem in bonis operibus atque sapientia sinit jacere neglectos. Alii, vero, existimant eum esse principem aliquem temporalem, ho-

nores et dignitates revocantem ad stultus favore populi vel potentium. Et non dessunt qui nomine principis hoc loco diabolum intelligant, de quo paulo ante dixerat: *SI SPIRITUS POTESTATEM HABENTIS ASCENDERIT SUPER TE, LOCUM TUUM (ne) dimiseris;* fieri vero a diabolo, ut insipiens quisque in Ecclesia teneat principatum, quo cæci a cæcis ducantur et in foveam cadant, dubiandum non est. Sequitur in textu:

8.— Qui fodit foveam, incedit in eam: et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

Vult, quod (1) stulti proprio se jaculo transigunt. Quod idem habetur *Proverb. XXVI: Qui fodit foveam, incidit in eam; et qui colit lapidem, revertetur ad eum;* et *ps. VII: Laqueum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit;* et *Eclesiastici III: Qui amat periculum, peribit in illo.* Admonemur, igitur, hoc loco, ut, quantum in nobis fuerit, ocasiones vitemus peccandi; seps, autem, atque maceria mystico sensu Ecclesiastica dogmata sunt et institutio, a Prophetis et Apostolis profecta, quæ, qui dissolverit, a serpente percutebitur; de quo serpente scriptum est (*Amos, IX*): *Si descenderint in infernum, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos.* Sequitur:

9.— Qui transfert lapides, affligetur in eis: et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

Plerique Doctores ecclesiastici hunc locum ita interpretantur, ac si soli vacaret mystico intellectui: volvuntur, enim (inquunt), lapides sancti super terram (apud Zachariam), nec firmi in ea statione consistunt, sed prætereunt, et semper ad altiora nitentes, hinc migrare festinant; et *Apocalypsis capite XII: Urbs Salvatoris struitur ex his rivis lapideis;* quod idem docet Apostolus. Si quis, ergo, hæretica arte perversus, de Ecclesiae ædificio abstulerit istos lapides, non abibit inultus, sed dira potius tormenta patietur. Scindens quoque ligna, periclitabitur in eis: hæretici, enim, ligna infructuosa sunt, et saltus absque utilitate pomorum; unde et in templo Dei prohibebatur plantari

(1) Sic in codice. PP., vero, Matrit.: *Significare vult, quod...*

nemus, vanaque foliorum viridantium, id est, verborum tantum sonantium contemuntur umbracula. Quamvis, igitur, prudens sit et doctus, qui gladio sermonis scindit haec ligna, nisi tamen diligenter attendat, periclitabitur in eis, maxime si acciderit ei, quod sequitur:

10.—Si obtusum fuerit ferrum, et hebetatum.

Id est, non manserit homo, qualis ante erat. Evenit, enim, interdum, ut cum modicum scientiae quis habuerit, elatus in superbiam, discere desistat, et paulatim, ex eo, quod nihil additur, detrahatur, vacuumque disciplinis peccus remaneat, et hebetetur ferrum, quod acutum ante fuerat; dessida, enim, rubigo quaedam sapientiae est. Sed POST INDUSTRIAM SEQUITUR SAPIENTIA.—Hoc est, si cui hoc acciderit, importuno labore et industria continuaque lectione recuperabit pretiosam sapientiae supellectilem, quam amiserat. Hanc simile vero ratione antiqui interpretabantur hunc locum; fortasse, vero, litterae sensus est, quod postquam Salomon praecedenti versu admonerat occasiones vitare, hoc sequenti docet, stulti etiam hominis esse majora conari, quam pro viribus: Quos conatus assimilat labori pugnantis cum lignis atque lapidibus; addit, autem, eam esse sapientiae vim et industriam, ut magna homines perplexitate et angustia interceptos facili ratione soleat eripere. Et hoc est, quod subdit: SI RETUSUM FUERIT FERRUM, quo ligna secabantur, homo, qui in ea sit angustia, ut non possit prosequi, quod intendebat, adsceat sibi sapientiam; illa, enim, res alioquin difficilis, faciles reddet; et post industriam sequetur sapientia, id est, post hoc consilium, ejusdem sapientiae virtus et fortitudo declarabitur. Sequitur:

11.—Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.

Serpentis morsus, eo periculosior est, quod ille latenter magis aggreditur, spatiumque non concedit homini defendendi sui. Cui est occulte detrahens similis omnino; ac propterea David (ps. c) detrahentem secreto proximo suo, hunc non modo non suscipiebat, sed magis persequebatur, quam si praesenti obloqueretur, nam praesens sui ipsius rationem reddere potest; et psalmo XIII, inter partes boni

viri, enumerat, quod *opprobrium non accepit adversus proximum suum*, id est, quod non modo ab eo, ut proximum verbo laederet, sibi temperabat, sed iactari etiam aut dici in eum aliquid indigne non sustinebat. Et, quidem, peculiariter virtuti detrahere, vitium est satanicum; unde (Job, 1) Dominum virtutes Job, pietatemque et religionem, commendantem Satan sic interpellat: *Numquid gratis Job timet Deum? tu vallasti domum ejus per circuitum, universamque substantiam ejus, operibus manuum ipsius benedixisti, etc.*, id est, quid mirandum si Job colat Deum; nec, enim, gratis et ingenio mercenario, ob ea commoda, quae a te consequitur, et maxima et plurima, quibus si eum spoliaveris, extemplo fas omne abrumpit, amicitiaeque leges faedissime violabit; quod si suspitioni meae fides non datur, extendere paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet, et experientia ipsa comprobabis, quod una cum bonis externis fidem omnem et amicitiam exuat, atque in te infidus et blasphemus existat. Quicumque, vero, sint hi de quibus detrahimus, omnino pessimum vitium est detractio, nec excusatur inde, quod non bonis detrahimus sed improbis. Studiosi, enim, viri ac Deum timentes, quod honestum et laude dignum in aliis vident, id amplectuntur et laudant; quod, vero, turpe et indignum, silentio premunt et quasi contegunt; unde Dominus (Joan., XVIII), rogatus a Pontifice de doctrina et de discipulis, pro doctrina respondit: *Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in Synagoga et in templo*, quo omnes Judaei conveniunt, etc.; de discipulis, vero, omnino reticuit, quoniam eo tempore Petrus negaverat, Judas vendiderat, reliqui deseruerant; putavit, ergo, satius de illis tacere, quam loqui. Igitur, haec in parte, quo frequentius peccatur, tam cautiore debent esse boni viri, verbaque illa *Sapientiae* (1) ante oculos habere semper: *Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur*. Custodite, ergo, vos a murmuratione, quae nihil prodest; et a detractioe parcite linguae, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; *os, autem, quod mentitur, occidit animam*. Sequitur:

12.—Verba oris sapientis gratia: et labia insipientis praecipitabant eum.

Apostolus Paulus, cupiens eos, quos erudiebat, esse sapientes, sic scribit ad eos: *Sermo vester sale sit conditus*. Sermo, enim, boni viri atque sapientis nec asper est et

inhumanus, nec rursus mollis et dissolutus; sed gratia, moderatione et sale conditus, ita ut et delectet quidem audientes, et eos non sinat diffuere; labia vero stulti, id est, verba, mortem illi perniciemque conciliant: multi, enim, ob stulte atque temere effusa verba perierunt. Aliqui pronomen illud EUM referunt ad sapientem, quem labia stulti praecipitare dicantur, sed planius et verius est referri ad insipientem, de quo subditur:

13.—Initium verborum ejus stultitia: novissimum oris illius error pessimus.—14.—Stultus vero verba multiplicat.

Fortasse error ille pessimus, in quem stultus devenit, est divinae providentiae Deique ipsius abnegatio; ad quam tunc solent homines pervenire, cum ab stultitiae loco quasi profecti, multis peccatis atque flagitiis viam sibi ad infelicissimum illum terminum muniverunt. Quod satis declaravit Psaltes, pso. XCIII, ubi insipientes quidam et stulti, cum populum Dei afflixissent, bonosque viros variis modis vexassent, vidnam et advenam et pupillos interfecissent (quos, eo ipso, quod omnes sunt ope destituti, humanitas omnis commendabat), per haec, inquam, tanta et tam immania flagitia in id se miseriae barathrum praecipitarunt, ut dicerent: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*; et quidam etiam (pso. LXXII) postquam operi sunt iniquitate et impietate sua, *posuerunt in coelum*, id est, Deum, *os suum*. Job etiam, capite XXII, stulti quidam dixerunt: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat; circa cardines coeli perambulat*. Hic, igitur, esse videtur error ille pessimus, in quem stultus lapsus est; congruitque alia quorundam versio, qui loco erroris pessimi insaniam sive furiam transtulerunt: est, enim, Dei abnegatio insana sententia, ferina et inhumana, ut quam ratio omnis et humanitas, super quam *signatum est lumen vultus Domini*, repellat et detestatur. Quocirca, stultus ille et insipiens, qui, hac gravissima poena a sua pravitate multatus, dixit: *Non est Deus*, nunquam hoc verbis externis explicuit nec ore prompsit, sed compressit in corde, eo quod ejusmodi esset ea sententia, ut ne imprudentissimum illud os eam proferri sustineret, veritus obrui communi totius orbis atque universi consensu. Nec, vero, mirandum est, si hic fuerit finis et meta peccatorum insipientis, nam infelicitas sive infortunium cognata est injustitiae; nihil, autem, infelicius esse potest, quam negare Deitatem. Quod autem sequitur: **ET STULTUS VERBA MULTI-**

PLICAT dici non potest quam quadret insipientibus, tunc quia constat eos, ut in plurimum, blaterones esse et loquaces, atque aestuantes colluvione verborum; tunc etiam, secundo, quia stultus, sive multa loquatur, sive pauca, (quod tamen nunquam ipse ab insipientia poterit impetrare) semper blaterat et nugatur. Nam qui nihil unquam boni loquitur, nihil utile, etiam in paucis verbis redundat, suoque illo sermone importunus est et molestus; praeterquam quod, si quid interdum videatur boni locutus, cum orationi mores non consonent, atque hac etiam pauca bona verba foedet inhonestissima vita, et stultis factis obruat, certe et hic quoque, dum loquitur, nugari videtur: sapientem enim atque doctorem oportet prius facere, et deinde alios docere. Neque incongrue multiplicare verba dicuntur hi, eo quod cum, ut sequenti versu dicitur, nec praeteritorum meminerint, neque futura cognoscant, atque ignorantiae tenebris voluntur, eos sapientes se putant, si verba multiplicent et hoc est quod subject: **IGNORAT HOMO, QUID SIT, QUOD FACTUM EST: ET QUOD FUTURUM EST POST EUM, QUIS ANNUNTIABIT EI?** Sequitur:

15.—Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.

Persoverat Salomon in enarranda stultorum infelicitate atque miseria. Est, autem, haec illorum vox (*Sapientiae, capite V*): *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis; et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus*. Est, vero, via Domini pergere ad civitatem, hoc est, optima atque felicissima civitatis vivendi norma sibi proponere, tendereque in civitatem illam Jerusalem, cujus artifex et conditor est Deus, atque imitari fidelem Abraham, qui, ut testatur Apostolus (*Hebr. XI*) fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando; expectabat, enim, fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor est Deus, illosque sequi, qui juxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes, et contentes quoniam advenae et peregrini sunt super terram. Qui, enim, haec dicunt significant se patriam inquirere; et quidem, si ipse meminissent, de qua exierant, habebant utique tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est, coelestem. Ad hanc, igitur, civitatem, de qua *gloriosa dicta sunt* nobis, stulti pergere nesciverunt; nesciverunt, autem, culpa sua, nam sol justitiae *illuminat hominem*

omnem, venientem in hunc mundum; et Jeremiae XI, dicebat Dominus: Contestans contestatus sum, mane consurgens contestatus sum et dixi: Audite vocem meam, et non audiverunt, nec inclinaverunt aurem suam, sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali. Caeterum, quidam humano sensu, plus quam justo, civiliter locum hunc interpretantes, asserunt sensum esse, quod stulti fatigantur, quia nesciunt civiliter vivere. Nec desunt, qui dicant consilia et labores stultorum hoc loco damnari exemplo principis stulti, qui, quantum in se fuit, curavit occludere et asperam facere viam, quae ducit ad civitatem, eo quod id ad urbis securitatem pertinere videretur; hoc vero solummodo consilii sui commodum reportavit ut illuc pergentes taedio afficeret et fatigaret: decet, enim, publicam viam planam esse et patentem. Favereque huic expositioni videtur, quod quidam vertunt: LABOR STULTI AFFLIGET EOS, QUI NESCIUNT AD URBEM PERGERE; sed et graeca et hebraea conveniunt cum Vulgata, leguntque: LABOR STULTORUM. Sequitur.

16.—Vae tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt.—17.—Beata, terra, cujus rex nobilis est, et cujus principes veseuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam.

Literalis sensus est: infelicem censet civitatem, cujus princeps sensu puer est, luxurique deditus, et cujus iudices, dimissis publicis negotiis curisque civilibus, praerumpente aurora, indulgent epulis; quo fit, ut toto reliquo tempore idonei sint ad gubernandum. Beatam, vero, judicant eam provinciam, cujus rex et ingenuus est, et ingenue ac liberaliter nutritus, honestatisque studiosus, et qui modeste ac temperate cibis utitur, non ut vires ingenium obruant, sed ut tueantur. Quod ipsum, et Plato dixerat: beatas, scilicet, fore republicas, si eas vel studiosi sapientiae regerent, vel earum rectores studere sapientiae contigisset. Verum sacratior et latentior sensus erit, quod juvenes in S. Scriptura dicantur, qui a veterum auctoritate discedunt, et sana mandato cupiunt statuere traditionem hominum; de quibus Esaias loquitur (cap. VIII), eisque comminatur, eo quod noluerint *aquam Siloe, quae vadit cum silentio*, et veterem piscinam averterent, eligentes sibi *fluenta Samariae et gurgites Damasci: Et dabo, inquit, juvenes principes eorum, et illussores dominabuntur eis. E con-*

verso, vero, legite Danielelem (cap. VII) et *vetustum dierum* invenietis Deum; legite Apocalypsim Joannis (cap. I) et caput Salvatoris reperietis *candidum ut nivem, et quasi lana alba*; Jeremias quoque (cap. I) quia sapiens erat, *et cani sunt sensus hominis, atque aetas senectutis vita immaculata*, prohibetur juvenem se esse dicere. Sensus igitur est: VAE TERRAE, cujus est diabolus rex, qui semper novarum rerum est cupidus, qui iudices et principes habet eos, qui amant hujus saeculi voluptates, et qui, dum vivunt, semper illud in ore habent: *Manducemus, et vivamus; cras enim moriemur* (Esae. cap. II); E contra, vero, BEATA TERRA Ecclesiae, cujus rex est Christus, princeps, ingenuus, ex Abraham, Isaac et Jacob, Prophetarum quoque et sanctorum stirpe descendens, qui fuerunt liberi a peccato; multo, autem, liberior sacratissima et mater et virgo, cujus fructus fructicem non habuit, sed totus erupit in florem, loquentem in *Cantico canticorum, II: Ego flos campi, et lilium convallium*. Principes quoque ejus sunt Apostoli et omnes Sancti, qui regem habent ingenuum, filium liberum, non ex ancilla Agar; nec vero hi principes comedunt mane, nec quaerunt hujus saeculi voluptates, sed manducabunt in regno matris suae TEMPORE SUO, cum, scilicet, retributionis tempus advenerit, cumque impletum fuerit illud Esaeae (LXV): *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; servi mei vivent, et vos siltietis? ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini?* Sequitur:

18.—In pigris humillabitur consignatio (1), et in infirmitate manum perstillabit domus.—19.—In risu faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes, et pecunia obediunt omnia.

Etiam haec habent consequentem sensum literalem ad supradictum. Eorum, enim, principum ac iudicum, quorum Salomon stultitiam et intemperantiam reprehenderat, modo reprehendit pigrum et ignavium. Id, quod explicat hac similitudine; quemadmodum ignavia domini solvitur domus, atque, corruptibus testis, interiora omnia et penetrantia patent pluviae, grandini, caeterisque injuriis coeli, pari ratione regnum subvertitur otio et dissidia principis ac iudicum; otium, autem, atque dissidiam dici non potest, quam sequatur intemperantia et luxuries. Et hoc

(1) Ad marginem et maderamento de la casa.

est, quod subdidit: IN RISU FACIUNT PANEM ET VINUM, hoc est, ad voluptatem parant cibos, seque et exhilarant vino; et obruunt, UT EPULENTUR VIVENTES; et eorum pecunia ministrat nequitiae ipsorum, quodcumque liberit. Cui veritati et doctrinae ethnici etiam ipsi consentiebant, et satyrica quidem, sed vere, complexus est Juvenalis (satira 6. ²): *Quondam contingi parca...; nunc patimur longae pacis mala; saevior armis, luxuria incubuit*, etc. (1). Et littera, quidem, istis videtur explicata; alter, vero, sensus erit: quod quia pigri sumus, et ad bona opera tardiores, tunc domus nostra interior, secundum quam habitamus in coelis, a sublimi loco corrui in terram; et quia in operibus virtutis torpemus, idcirco magnas patimur tempestates, domusque nostra subvertitur. Ingens, vero, hujus mali causa est, quia Magistri et Praelati Ecclesiae IN RISU FACIUNT PANEM ET VINUM, UT EPULENTUR VIVENTES; id est, loquuntur quidem in Ecclesia, et docent populos, sed ea docent, quae populum audire delectet, et peccatores palpant in vitio. Itaque quando in Ecclesia, quasi lascivit orator, et promiscuae multitudini facile beatitudinem pollicetur, satis superque liberalis, his certe IN RISU FACIET PANEM ET VINUM; quia Ecclesiae panem, qui panis lugentium est, in laetitia gaudioque conficit. Quod, autem, sequitur: ET PECUNIAE OBEDIUNT OMNIA, ad magistros ipsos potest referri, qui propterea populo et magnatibus adulantur, quia ditari quaerunt. Sequitur:

20.—In cogitatione tua, regi ne detrahas; et in secreto cubiculi tui, ne maledixeris diviti: quia et aves coeli portabunt vocem tuam; et qui habent pennas, annuntiabunt sententiam.

Consilium nobis dat Salomon, viro sapienti dignum, ne quando, ira et impatientia devicti et superati, prorumpamus in maledictum et distractionem, sive regum, sive principum; quia contra spem, interdum evenit, ut nuntietur his, quibus malediximus, atque ob imprudentiam et immo-

(1) Sic in codice. Quae tamen, servata versuum distinctione, ita in Juvenali leguntur:

*Praestabat castas humilis fortuna latinas
Quondam, nec vitii contingi parva sinebat
Pecta labor, somnique breves....
Nunc patimur longae pacis mala; saevior armis,
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.*

derationem linguae, periculum incurramus. Illud, vero: QUIA ET AVES COELI PORTABUNT VOCEM TUAM; ET QUI HABENT PENNAS, ANNUNTIABUNT SENTENTIAM, intelligendum est hyperbolice; usurpavit, enim, Salomon modum loquendi (qui communi hominum sermone ferebatur) ad exaggerandam famae celeritatem naturamque evulgaricem eorum, quae omnino secreta esse putabantur; non aliter atque nos ipsi dicere solemus, parietes ipsos, quibus confisi loquimur, annuntiaturos quae dixerimus. Estque singularis ad hoc ille locus Habacuc (II), ubi Propheta, loquens ad quemdam, qui existimabat fieri non posse, ut ejus delicta et facinora pateficerent, admonet ipsum, ne tam amens sit et stultus, ut hoc sibi persuadeat, quia *lapis*, inquit, *de pariete clamavit et lignum quod inter juncturas aedificiorum* est respondedit. Et, quidem, celeritatis famae insigne exemplum habetur II Reg., XIII, ubi, Amnone interfecto ab Absalone, omnes filii Regis, qui aderant, idem excidium timentes, accinctis equis, fugerunt ad Davidem; nihilominus, tamen fama mali multo ante pervenerat ad Regem. Nec vero, pervenit per eos, qui adfuerunt, quando mortuus est Amnon, nam credibile est, quod qui facinus viderant, non mentirentur; qui autem prius nuntiaverunt Davidi, mentiti sunt; affirmarunt, enim, Absalonem interfecisse omnes filios Regis. Merito, igitur, ille (Virgilius. *Aen.*, I) famam facit *pedibus celerem et pernicibus alis, cui quod sunt corpore plumae, tot vigiles oculi, tot linguae, tot subrigit aures...* Et de eadem dixerat, quod: *ingrediturque solo, et caput inter nubila condit*, eo quod ad obscuro quovis et ignobili ad principes soleat pervenire.

Et hactenus de isto capite X (1).

(1) In codice adjungitur: *Finis hujus cap. X.*

INDEX TOMI I

	<i>Pagina.</i>
Prooemium generale in latina M. Luysii Legionensis opera, et ratio hujus editionis.	V
In Canticum Moyses prooemium.	1
In Canticum Moyses expositio.	3
In Psalmos prooemium.	107
Expositionis Psalmi XXVI Cardinali Quirogae dedica- tio.	111
In Psalmum XXVI expositio.	114
In Psalmum XXVIII id.	169
In Psalmum LVII id.	192
In Psalmum LXVII id.	204
In Ecclesiastem.	271
In Ecclesiastes expositionem prooemium.	273
Operis argumentum.	279
Ecclesiastes expositio.	282
Voluminis I Appendix.	508
In Psalmum XV.	512
Id Psalmum XVI.	519
In Psalmum XVIII.	523
In Psalmum CXLV.	530
In caput IX et X Ecclesiastes, auctore P. Didaco de Ta- pia.	582

CORRECTIONES

<i>Pag.</i>	<i>l.</i>	<i>errata</i>	<i>corrigere</i>
X	16	alique	alique
XI	22	1529	1779
XXI	28	Legionensis	Legionensi
XXII	26	Barriouero	Barriouero
id.	34	expectantia	spectantia
XXIV	6	Manuscrta	Manuscripta
XXV	5	Junii	Junii
XXVI	12	O-III-32	O-III-32
id.	16	Joaquin	Joaquin
4	20	ex persona	ex persona (Dei)
17	11	mobilitate	mobilitate
id.	16	frundo	faciendo
70	1	concludat	concludant
150	7	iratur	iratus
155	15	ipse	ipsi
159	16	ad	ab
255	8-9	circumcingi	circumcingi
256	52	effuet	effluet
336	17	affuet	affuet
426	30	sparsi	sparsa
442	26	claudur	claudus
447	26	animan	animam
524	14	allis	alis
529	29	proterviam	proterviam
530	19	quo modo	quo modo
533	12	est	es
535	22	quaodam	quodam
536	9	sapientia	sapientiae
id.	22	qua	quae
537	28	sic	si
543	1	stultus	stultos
544	16	Hac	Hac
547	10	hac	haec
549	27	consignatio	contignatio
id.	35	testis	tectis

